

156.

Divina adfultante gratia,

DISSERTATIO GRADUALIS

De

**EXISTIMATIONE,**

Qvam,

Cum consensu Ampliss. Facult. Philos. in  
Reg. ad auram Academias,

PRÆSIDE

**HENRICO HASSEL**

Eloq. Prot. Reg. & Ordin.

Publice examinandam s̄t̄et

**ERICUS S. BACKMANN**

Jemtius.

Ad d. XXVII. Junii Anni MDCCXL.

Loco horisqve solitis.

---

ABOÆ, exc. J. Kuæmpe, Reg. Ac. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo  
PATER ac DOMINO,

# DN. NICOLAO STERNEL,

S. S. Theol. DOCTORI celeberrimo,  
per Norlandiam Occidentalem SU-  
PERINTENDENTI longe meritissi-  
mo, Confist. Eccl. Hernœland PRÆ-  
SIDI Gravissimo, Reg. ibid, Gymn.  
& Scholarum per Diœcesin EPHO-  
RO Adeuratissimo, Benignissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

**N**on potest non existimatio illa natura-  
lis, ut &, quæ cum gravissimo TUO  
munere, Reverendissime PATER, conjuncta  
est intensiva civis, maximam veneratio-  
nem apud nos excitare. Imprimis gravitas  
muneris Tui, clientes, ne TE plurimis curis  
districtum interpellarent, deterrere posset, nā-  
si

si virtus, qua nimirum existimatio TLLA,  
sub complexu suo haberet favorem, facilis  
tatem & benivolentiam, que nos alliciunt,  
ut ceteratim limina TLLA acceda-  
mus, & TIBI virtutis estimatori equis-  
simo quantoq[ue] cupiamus innare; cere. Eo-  
dem etiam fretus favore, specimen hoc-  
ce graduale humillimus offerre & conse-  
crare TIBI, MÆCUNAS Maxime, sum  
ausus, quod si sereno, ut soles, vultu ad-  
spicere & accipere digneris, spes fortunæ  
letioris exoptatissima nobis exorietur. Pro-  
TLLA, Reverendissime PATER, Nobilissime  
que familia TLLÆ perpetua felicitate vo-  
ta quoad vixero funiam calidissima

REVERENDISS. NOM. TUI.

Devotissimus cultor  
ERICUS S. BACKMANN.

*NOBILISSIMO VIRO,*

Dn. ANDREÆ ORBOM,  
Eqvitum MAGISTRO Maxime strenuo,

**PATRONO MAGNO.**

*Admod. Rever. atque præclariss. VIRIS,  
Dominis MAGISTRIS,  
Reg. Gymn. Hernæs. LECTORIBUS  
dexterissimis, Consist. ADSESSORIBUS  
æquissimis, PROMOTORIBUS & FAU-  
TORIBUS certissimis.*

*P*agellas basce rudi minerva conscriptas,  
opratissimi, in signum venerationis &  
vestrorumque diuturna salute

Nobiliss. Admod. & Plur. Rever.

*Observantiss.  
ERICUS. S.*

Admod Rever. atque Preclariss. VIRO;  
Dn. M. ABRAHAMO BURMAN,  
PASTORI in Dfferdahl/ Alphen & Matt-  
mar dignissimo, adjacentisqve di-  
strictus PRÆPOSITO adeuratissimo,  
PROMOTORI ac FAUTORI OPTIMO.

Plurim. Rever. atque Clarissimo VIRO;  
Dn. ERICO NORÆO,  
Gregis, qvi Christo colligitur in  
Lidt / Hæggenås / Khrckås & Geling  
PASTORI vigilantissimo, FAUTORI  
benignissimo.

Vobis, Promotores & Fautores ex-  
reverentie, cum voto calidissimo pro vestra  
& felicitate, dedicare voluit

Nominum Vestrorum.

Mus Cultor  
BACKMANN.

**VIRIS**


Perquam Rever. nec non Doctissimis,  
Dn. ANDREÆ DAMIN,  
V. D. Comministro in Rödön, &c.  
laudatissimo,

Dn. LAURENTIO ASPGREN,  
V. D. Comministro in Nordvinteråd  
&c. optime merito, olim Praecepto-  
ri meo fidelissimo,

Dn. LAURENTIO EDVALL,  
V. D. Comministro in Brunflo / &c.  
bene merito,

Fautoribus Honoratissimis  
D. D. D.

ERICUS S. BACKMANN.



## §. I.

**O**Mnes , qvotqvor su-  
stinet orbis homines,  
natura æqvales esse,  
stirpis , ex qva prognati sunt,  
identitas , animæ præstantia  
& excellentia , qva faculta-  
tes saltem generales commu-  
nis , idem in theatrum mun-  
danum introitus , sustentatio-  
nis & nutritionis modus haud  
dissimilis , & idem denique  
exitus , certo certius evin-  
cunt. Unde conseqvitur, nul-

lo niti fundamento assertio-  
nem eorum , qvi sine prævio  
instituto & pacto humano ,  
qeosdam mortales aliis vel su-  
periores vel inferiores , non-  
nullos dominos , alios natos  
esse servos contendunt . Cu-  
jus hypotheseos ex antiquis  
principiis vindex est Aristote-  
les . Scilicet , ut natione erat  
Græcus , ita populares suos ,  
qvi barbaris ( ut dicebant  
cunctas gentes extra Græciam  
degentes ) ingeniosiores & cul-  
tiores videri volebant , omni-  
bus aliis superiores facere vo-  
luit : Græcos natura liberos  
& dominos , alios omnes man-  
cipia & servos esse affirmans .  
Sed facile refellitur cum asse-  
cis

clis suis. Falsus non minus,  
quam ingratus est in eo Aristoteles, quod omnes extra  
Græciam barbaros reputat.  
Nam ob quas tantopere sibi  
placebant scientias, Græci,  
has ab orientalibus acceperant,  
qui & Aristotelis ætate Græ-  
cis erant solidiores. Ut alios  
mittam populos, qui a verbo-  
rum fastu alieni, veras & uti-  
les possidebant scientias, atque  
a multis erant vitiis immunes,  
quæ non solum usu apud Græ-  
cos invaluerant, sed ipsis eo-  
rum dogmatibus probabantur.  
Pone autem excellentissimo  
qvendam esse ingenio, pone  
eum & suæ & aliorum saluti  
ceteris melius consulere posse;

hoc tamen non statim imperium  
 & dominium introducit, verum ad id obtinendum & stabiliendum reqviritur antecedens pactum & consensus utrinque. Quid? qvod ad opera, qvæ servi exercebant non minus ingenium, quam ad alia necessarium sit, ex gr. ad artes manuarias, mechanicas, & sic porro. Nec ullus est mortalium, qvin aliqua saltem ingenii parte gaudet, & ad aliquid aptus sit, modo tempestiva institutio accedat.

## §. II.

**Q**uod qvamvis ita sit, inæqualitatem tamen qvandam inter homines & præ-

mi-

minentiam unius præ altero,  
ante omnem impositionem ci-  
vilem, adeoque in ipsa natu-  
ra fundatam statuere non du-  
bitamus, hanc vero neque  
**ex eodem**, quo Aristoteles de-  
ducimus fonte, neque vel im-  
perium, vel servitutem secum  
ferre, sed tantum pretium  
quoddam naturale & existima-  
tionem præponderantem con-  
tendimus. Scilicet, propter præ-  
stantiam actionum humanarum  
& difficultatem habitum vir-  
tutis adqvirendi, voluit beni-  
gnissimus Creator, ut virtuti  
statueretur suum pretium, hoc  
est, ut indundo nexu illam,  
honos comitaretur, quo hoc  
tanquam stimulo incitarentur  
mor-

mortales , ad illam sedulo  
qvarrendam & sectandam , &  
simul metu infamiæ deterreren-  
tur a vitiis , & malis perpe-  
trandis : unde duobus his in-  
citamentis , gloria puta & in-  
famia , vitam maxime agitari  
nostram observant scientiæ mo-  
ralis scriptores . Et hoc fun-  
damento nixi , asserimus il-  
lum , qvi virtuti sedulo & in-  
defesse operam navat , præ-  
stantiorem esse eo , qvi vitiis  
delectatur : immo illum , qui  
vitia plura cumulat & in il-  
lis continuandis longius pro-  
gressus fuerit , honore omni  
& existimatione ex præscripto  
juris naturalis plane indignum  
esse , & proinde aliis omni-  
bus

bus inferiorem censeri debere.

§. III.

**D**icitur existimatio , de qua locuti sumus , naturalis & absoluta ex eo , qvod naturalis illam induxit æqvitas abstrahendo ab omni impositione humana & societate civili . Comparatur hæc ipsa , non per segnem qvandam letationem unius vel alterius virtutis , ubi vitiis de cetero imbutus fuerit animus ; sed per virtutis omnigenæ alacrum studium , imo crebrum & concatenatum exercitium , qvando nempe qvis sibi firmiter proponit , ad iuris naturalis regulas semper & ubique instituere vitam , aliis qvocunque modo

modo & occasione benefacere , eorumque promovere commoda , & sic vinculum , quod homines qua tales continent , sciens volensque nunquam interrumpit , nec ab honesti tramite vel tantillum deflectit .

#### §. IV.

**D**iminui quodammodo existimationem hancce naturalem quamprimum catena virtutis interrupta fuerit facto aliquo illico , quo quis iura securitatis , quibus humanus combinatur societas , violaverit , facile quidem largimur ; interim tamen si peccatum aliquis commiserit minus grave , sive infirmitatis , a quo ne-

nemo mortalium facile cave-  
re poterit, præcipue dum im-  
petu affectuum effrænorum a-  
gitatur; illius non statim pe-  
nitus sublata putetur existima-  
tio; cum qvi pœnitentiam  
mox egerit, damni reparatio-  
nem ultro præstiterit, & vir-  
tuti se studiosissimum fore o-  
stenderit, quantum per deli-  
ctum existimationi decessit  
illico recuperare potest. Un-  
de liqvet, anteqvam abesse cen-  
seatur existimatio naturalis,  
reqviri, ut continuet qvis trans-  
gressiones & multiplicet pec-  
cata, studioqve nocendi scle-  
flagrare significet, & pœni-  
tentia admonitus nullum re-  
linqvat locum.

**P**Enitus itaque tollitur estimatio haecce absoluta, quando quis habitum quasi mali in animum induxit, adeo ut studio aliis nocendi flagret, & fœditate scelerum, delectetur. Hic enim, qui ita jura humanitatis violat, & tranquillitatem publicam atque communem inter homines turbare annititur, existimatione naturali merito carere existimetur. Eiusmodi naturali infamia notati homines, jure meritoque habendi sunt cuiuscunque generis prædones. Piratica quidem olim varios apud populos & præsertim Scandinaviæ habitatores, ut ars hos

honesta & egregium virtutis  
bellicæ exercitium spectabatur,  
verum christianismo plane in-  
troductione erronea hæc opinio  
exolevit, cuius falsitatem stu-  
diosior juris naturalis cultura,  
qvæ superiori & nostro secu-  
lo cœpit invalescere, insuper a-  
peruit. Nihilominus dantur  
adhuc piraticæ qvædam socie-  
tates, qvas coercere populis  
Europæis duduim expeditum  
fuisset, si caussam commu-  
nem communi consilio & o-  
pera agere voluissent. Sed i-  
stius concordiaæ expectatio sva-  
ve omnino somnium foret. Su-  
perstites autem volunt hosce  
canes, ut modo in hos mo-  
do in illos emissi, liberam-  
na.

navigationem & inde omnino pendentem liberum commer- ciorum cursum impedian. At qve ubi res ita se habet, pru- dentiae est bolum potius obji- cere famelico, quam inulto morsu peti, vel saltem ma- nifesto sc exponere periculo. Et sic pactorum cum piratis initorum moralitas est intelli- genda.

### §. VI.

**E**X illis, qvæ dicta sunt, patet existimationem hanc naturalem per hominum ma- leficiatorum calumnias, obtre- stationes & convicia; vel a- lio qvocunque iniqvo facto, sive diminui sive omnino tol- li non posse, nisi enorme ans,

anteceſſerit facinus , & vitiiſ  
refertus fuerit animus illius ,  
qvi infamia adſpergitur . Ve-  
rum quidem eſt , ut præcla-  
re ait Grotius in tractatu de  
mari libero : *auos intereſſe*  
*humanis rebus judices , con-*  
*ſcientiam puta propriam & ex-*  
*iſtimationem alienam , quos*  
*felicissimus qvisque non effu-*  
*git ; interim pefſime conſul-*  
*tum eſſet societati humanæ ,*  
*ſi nullo alio , quam opinione*  
*aliorum , quæ immane qvan-*  
*tum variat , & ſæpiſſime de*  
*personis per errorem judicat ,*  
*niteretur honor fundamento .*  
*Fundatur vero , ut diximus ,*  
*existimatio naturalis virtute ,*  
*quæ quemadmodum tanquam*

intrinsecum bonum nobis invitis afferri nequit; ita neque existimatio illa, quæ concatenato nexu illi adhæret, per ullas malevolorum sive clandestinas, sive apertas machinationes & rumores fraudulentos demi potest, antequam per enormia facinora ipsi eandem amissimus & viuis pandimus fores.

### §. VII.

**D**E existimatione naturali dicta sufficiant hæc. Pergimus ad civilem. Postquam introductæ fuere in orbem res publicæ & societates civiles, probe animadverterunt earum Gubernatores, vitam socialem & securitatem atque fa-

lu-

salutem publicam non minus  
in statu civili, quam naturali  
multum promoveri posse per  
stimulum honoris ac terrorem  
infamiae, & proinde legibus  
civilibus hæc determinare cœ-  
perunt. Unde primum enata  
est existimatio civilis, quæ  
simplex audit, qua qui gaue-  
det, civis idoneus & mem-  
brum reipublicæ integrum ha-  
betur, cui competit omnia  
jura civitatis, utpote securi-  
tas publica, conversatio inter  
alios cives, sique familiæ præ-  
sit & forma regiminis id ad-  
mittit, locus & sedes in pu-  
blicis congressibus, ubi de  
salute reipublicæ consultatur,  
& sic porro, Illa vero qui  
pri-

vatus est, civiliter mortuus censetur, cui neque fides habenda, neque locus in congressibus publicis concedendus, neque honores publici deferrandi, neque munera concredenda sunt.

### §. VIII.

**Q**uemadmodum vero lex civilis lege fundatur naturali; ita Legislatores civiles naturalem æquitatem circa impositionem infamiae civilis sequi solent. Diximus antea vi præceptorum juris naturalis non nisi illum infamia notandum esse, qui jura ista, quibus continetur securitas humana, graviori delicto violaverit. Hoc imitati Legislatores, illos

illos infames declarant, qvi ju-  
ra, qvibus fides & præcipue se-  
curitas publica nititur, temera-  
verint. Ita inde a multis re-  
tro seculis Sveo-Gothi nostri,  
æqvitatis naturalis amantissimi,  
prudentissime legibus sancive-  
runt, ut proditores regni, &  
alii ejusmodi tranqvillitatis &  
securitatis publicæ olores in-  
famia & morte mulctarentur.  
Pari modo, qvi studio & a-  
nimo proposito ædes alterius  
adierit, ubi tanqvm civis  
securitate communi utendi ju-  
re gauderet, & vel illum  
vel domesticos alios vulnera-  
verit, hic præter aliam pœ-  
nam infamiae qvoqve notam  
incurrebat, ut violati jura-

B menti

menti regii, de pace publi-  
ca & privata servanda, reus,  
qvod leges etiam patriæ re-  
cens promulgatæ constituunt.  
Crimen falsi etiam infamia  
notatur. Hæc & alia id ge-  
nus pro norma manifestam  
æquitatem naturalem agno-  
scunt. Si vero qvædam den-  
tur peccata, qvibus pœna in-  
famiae lege civili imposita est,  
ubi ratio ex lege naturali non  
adeo facilis est inventu, ex-  
istimabimus & hic subesse  
fundamentum iustitia naturali  
subnixum. Exasperanda qvan-  
doque est pœna propter salu-  
tem reipublicæ, auctoris de-  
lieti difficultem investigationem,  
& majorem terrorem aliis in-  
iiciendum.

## §. IX.

**I**llas vero civiles leges, quæ sine respectu habito ad vitia & facinora, solum propter inferiorem conditionem & sortem, quosdam cives quodammodo infames habent, debili niti fundamento, cuius facile est iudicatu. Hinc male apud saniores omnes, ideo audiunt Romani, quia servos in tantum infames habuerunt, in quantum neque dignos eos existimarent, qui in foro testimonium ferrent, neque ut cives ullo modo reputarentur. Eodem carbone atro notandæ sunt sive leges, sive homines, qui spurious absolute infames pronuntiant, cum

tamen obliqua illa nascendi  
fors non illis, sed parentibus  
imputanda sit. Pari modo i-  
gnorantiam justi & æqui pro-  
dunt illi, qvi propter faciem  
**externam** aliquem spernunt,  
& indignum cum quo con-  
versentur, nulla habita mo-  
rum ratione, declarant. Un-  
de ejusmodi tumidos & insul-  
sos homines tæpissime suspen-  
so naſo dictitare audias: **Hans**  
**ansichtē** sīr mig ej an. Ne-  
que censuram hanc subterfu-  
giunt, qvi carnifex & li-  
ctores infames habent, fun-  
damento nixi eo, qvod fa-  
ciorosi plerumque ad id of-  
ficiū deligi soleant homines;  
verum si concederemus, hoc  
inter.

interdum fieri, interim ta-  
men non semper, nec, po-  
sito hoc, propter munus in-  
fames habendi sunt, sed fa-  
cinora, quæ tamen cum ne-  
que ex regulis juris naturalis  
neque civilis satis superque  
probata fuerint, intempesti-  
vum ac temerarium de il-  
lis ferre judicium non licet.  
Inde prudenter in lege nostra  
hodierna sanctum est: Car-  
nifices & lictores, ubi nihil  
infamia dignum admiserint,  
neque infames habendos esse,  
neque a confortio & conver-  
satione civium honestorum re-  
movendos. S. B. IV. Cap.

### §. X.

**D**E quantitate simplici mo-  
rali,

rali , qvomodo in societatibus  
civilibus comparata sit jam di-  
ximus. Hanc vero cum non  
sufficere animadverterent civi-  
tatum Rectores, intensivam ,  
qvemadmodum dicitur , ad-  
diderunt, qvæ in eo consistit,  
ut unus civis , respectu sim-  
plicis de qva diximus existi-  
mationis , alteri æqvalis , ma-  
gis tamen alio respectu æsti-  
metur , qvam aliis , eiqve  
præferatur. Neqve hoc insti-  
tutum ab æqvitate naturali  
recedit ; non solum enim ju-  
stum est , ut virtuti operam  
dantes præstantiores habeantur  
vitiosis , sed necesse est ,  
ut qui majores in virtutibus  
progressus fecerit , præferatur  
illi ,

illi, qvi minores, qvam præ-  
eminentiam definire & deter-  
minare solent leges civiles.  
Niti autem solet duplici fun-  
damento existimatio hæc in-  
tensiva, vel natalium splen-  
dore, vel munerum dignita-  
te. Ita ex. gr. respectu pri-  
oris nobiles censemur omnibus  
superiores & digniores in va-  
riis civitatibus propter solam  
nascendi fortē, qvam præ-  
rogativam ad æqvitatem na-  
turalem reducere conantur  
nonnulli, hoc utentes ar-  
gumento, qvod qvum ma-  
jorum virtus per tempus vitæ  
eorum digne & sufficienter  
compensari non potuerit, æ-  
qvissimum esse censem, ut in  
liberis

liberis & posteris eorum hoc modo remuneretur. Ratio ne ad posterius habita, enatæ sunt constitutiones de prædria & præcedentia, vi quærum in congressibus variis quilibet locum occupet superiorem vel inferiorem, pro isto, quo fungitur munere civili. Et ubi, circa collationem munerum ad virtutis præstantiam, quæ apud unum præ altero deprehenditur, attenderit Princeps, eosque ad publica officia promoverit, qui non solum ingenio, scientia & experientia muneri obeundo sufficiunt, sed etiam salutis publicæ sunt amantissimi, vita probati & fide integri, adeo,

adeoque virtuti per omnia dediti, hæc utique existimatio intensiva æqvitate naturali nis- titur; si vero indigni ad mu- nera adhibiti fuerint, omnis illorum intensivus honos, re- currendo ad fontes naturales, vilescit ac tantum non in se nullus est.

### §. XI.

**D**ispiciamus ultimo, quousque hæc ad integras gentes referri possint. Vive- re civitatis unius membra in respectu ad cives alterius in statu naturali, dudum obser- varunt Juris Naturalis scripto- res. Qvod quum ita sit, in vicem etiam naturali existi- matione gaudere populos i- stos,

stos, in aprico positum est.  
Et videretur ex hoc funda-  
mento, una gens posse alteri  
naturaliter vel anteponi vel  
postponi, prout cives in una  
civitate magis virtutibus vel  
vitiis dediti fuerint, quam in  
alia, sive mavis, prout vel  
pauciores, respectu multitu-  
dinis civium, virtute instru-  
cti reperiantur in hoc, quam  
alio regno; verum quamdiu  
nemo facile hoc discrimen  
determinare, & numerum  
hominum virtuti sedulo ope-  
rantium definire possit, æ-  
quales tantisper habeantur gen-  
tes neccesse est. Sin vero gens  
aliqva omnia humanitatis jura  
violare, & aliis promiscue  
inter-

internacionem & ruinam intentare incipiat , illa profecto haud immerito in senatu gentium infamis habecatur , donec recipiscat & ad meliorrem redeat frugem . Provo- camus hic ad ea , quæ §. V. adduximus .

### §. XII.

**P**otensivam quandam existimationem & præminentiam præ aliis , sibi vindicare voluisse quasdam gentes ex annalibus constat . Nonnulli ex antiquitate originis hanc controversiam decidere voluerunt : ut Ægyptii & Schytæ , quum de præminentia imperii quondam alterarentur . Hanc prærogativam deriuare olim conati sunt quidam ex eo ,

eo, qvod religionem christianam susceperint aliis priores; quemadmodum pro consuetudine istius temporis hanc praecedentiam regno Sveogothico, ex eo principio, in concilio Basiliensi vindicare voluit Episcopus Nicolaus Ragvaldi, ut videre est ex ejus oratione apud Benz. in mon. *Eccl. Sveog.* p. 101. Alii ad amplitudinem & potentiam imperii provocant. Nec defunt, qui prærogativam unus regni præ altero deducere conentur ex imperantium titulis, quum non solum nostro, sed & prioribus seculis quidam dicti tuerint Imperatores & Cæsares, quidam Reges,

ges , qvidam Duces & sic  
porro. Verum ad hæc re-  
spondent Juris Naturalis scri-  
ptores : Qvod alijs populus al-  
tero sit antiquior , inde ne-  
quaquam sequitur illum huic  
præterendum esse. Et quæ  
posterior coaluerunt gentes ,  
antiquiores haud raro absor-  
pserunt , ut Romani Græcos  
& Ægyptios. Tempus rece-  
ceptæ religionis christianæ eo  
minus in censum venit , quo  
magis vanas ejusmodi lites de  
jure proœdrias ipsa damnat ,  
gloriam futuri seculi sibi dun-  
taxat propositam habens. Sit  
una gens potentior , locum ta-  
men priorem ideo sibi assere-  
re non debet , modo altera  
sit

sic sui juris & maiestatem ipsa retineat. Atque ubi plures, licet singulæ minus validæ, univerint vires, potentiores facile poterint æquare. Forma regiminis, illam, ubi obrinet, civitatem solum respicit, neque ad exterios ultiam habet relationem. Tituli eminentiores amplitudinem, & modum imperii designant, jus præcedentiaz non conferunt. In tota controversia hoc argumentum palmarium est, quod civitates sive maiores fuerint, sive minores, in terris neminem superiorem adgnoscant; quare omnes inter se sunt æquales, ut una alteri cedere non obligetur. Et id quidem in

in thesi recte omnino se habet, verum ad ejusmodi argumentationes Principes & populi parum attendunt. Praxis enim huc usque docuit in congressibus Principum, Legatorum solenni admissione, & variis, quæ circa ejusmodi aëtus observantur ceremoniis, magnam saepe occurrere honoris differentiam, cuius fundamentum vel ex imperantiū titulis, vel ex amplitudine civitatum & potentia desumitur. Longi temporis usus non parum hic habet momenti. Respectus tamen utilitatis, pro temporum varietate diversus, haud raro efficit, ut cuius populi Legati parciori apparatu antea

antea excipiebantur, mox honorentur impensis. Egregium omnino erat inventum, quo in tractatu Bredensi ad præcidendas lites de præcedentia, Legatorum quilibet, sua in locum conventus janua ingrediebatur, omnes vero mensæ rotundæ assiduebant, ut quis esset superior locus, quis inferior internosci non posset. Plura circa nobilem hancce matrem addere, temporis angustia & facultates nimium accitæ ventant, quare, ut pauca hæc boni consulat B. L. enixe rogamus.

Tantum.

